





1736.

1<sup>o</sup> et Borges, Thoerius: De successione in  
fendam aportum expectantia prouisionum. 2. Edit.

2. Camerarius, Ioh. Ulricus: Programma, de argumentis  
apostoli Pauli: sc. PE TE KVD KdC KdN povo, qae  
nec filiarum nec filiorum secundum gentium et iudee  
corrum parentum exclusionis obstante, quo  
prolectiones . . . intemantur.

3. Camerarius, Ioh. Ulricus: De aestimacione injuriae  
suo communis Matal. Programma, . . . quo  
lectioves intimantur

4. Camerarius, Ioh. Ulricus: De remuneracionibus  
filiarum, classibus successioni reservatis,  
hacumque salore et successione Haerica.

5. Camerarius, Ioh. Ulricus: De jure circa sacra  
categoriali et maiestatico.

6. Camerarius, Ioh. Ulricus: De jure circa lo iustitiam  
affectionis et veritatis.

7. Homburgk, Ioh. Fister: De usuris in contractibus  
strehlii juris secundum recentem deputat. de anno  
1600 Et 139.

1736.

8. Taurish, Th. Pet. Stein. de: De rebus non allodio  
in dale et natura

9<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup>, c. Walschmidt, Dr. W. Schleier: De probatione per  
diplomatica 3. Scaphe.

1737.

1. Grammerus, Ioh. Ulricus: De praesumptione pro  
iure Romano contra mores antiquos Germanorum.  
Programma, que prædictiones publicas et privatas  
intimantur.

2. Grammerus, Ioh. Ulricus: De jurisdictione prorogata

3. Grammerus, Ioh. Ulricus: De imponibili possessione  
in diem traditione symbolica.

4. Vogelsang, Henr. Henr. Varsi: De fide instrumenti per  
contrarium scriptum excludenda.



8. Februar 1848  
Wieder aufgegangen  
Gestrichen und abgedichtet

17. Februar  
1. Sonnen, die Wärme beginnt wieder  
aufzuhören und nachts Thüren und  
Dächer mit den Vorhängen gegen die kalte  
Luft zu schützen. Aufgestanden gegen  
Abend und habe mich wieder  
ausgeruht.





G.7. num 21.

E 33.

1736. 6.

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> JVRIDICA,  
DE  
**JVRAMENTO**  
IN  
**LITEM**  
AFFECTIONIS  
ET  
**VERITATIS;**

QVAM  
AVSPICIIS  
ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DN. FRIDERICI,**  
HASSIAE LANDGRAVII, RELIQ.  
PRÆSIDE

**JOH. VLRCICO CRAMERO,**

J. V. & PHIL. D. & PROF. JVR. ORD.  
DIE VII. JULII, ANNI M DCC XXXVI.  
PVBLICE IN AUDITORIO JVRISCONSULTORVM  
VENTILANDAM SISTET

AVTOR ET RESPONDENS

**GODOFREDVS SCHVLTZE,**  
HALLENSIS MAGDEBURG.

MARBVRGI IN CATTIS,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD.







DISSESSATIO JVRIDICA,  
DE  
JVRAMENTO IN  
LITEM,  
AFFECTIONIS  
<sup>TAM</sup>  
QVAM  
VERITATIS.

DEFINITIO 1.

§. I.

**P**retium est quantitas ficta, juxta  
quam ratio rerum erga seinvicem  
determinari potest.

DEFINITIO 2.

2. *Pretium verum est, quod res habet  
propter usum.*

A

SCHO-

2. Dissertatio Juridica, de Juramento in item

**SCHOLION.**

3. Memento quantitatem hujus pretii non ab usitate pendere, sed alias rationes bene multas habere, veluti raritatem; quemadmodum docuit GROTIUS (a).

**DEFINITIO 3.**

4. *Affectio* erga rem dicitur, dispositio animae voluntatem ex eadem percipiendi.

**DEFINITIO 4.**

5. *Affectio communis* vocatur, quæ oritur ex rationibus communibus.

**DEFINITIO 5.**

6. *Affectio singularis* appellatur, quæ oritur ex rationibus singularibus.

**DEFINITIO 6.**

7. *Premium Affectionis* dicitur, quod res habet propter singularem Affectionem.

**COROLLARIUM 1.**

8. Quoniam adeo res propter premium affectionis patrimonium nostrum non auger; nos propter rei premium affectionis locupletiores non esse, liquet (L 33. pr. ff. ad Leg. Aquil.).

**COROLLARIUM 2.**

9. Cum *Affectio singularis* ex rationibus singularibus oriatur (§. 6.); *premium affectionis non cadit nisi in individua.*

**COROLLARIUM 3.**

10. Quare cum in pecunia non considerentur individua, nisi ex nummis antiquis & rarioribus vel

(a) de J. B. & P. L. II, c. XII, §. 14.

vel memorialibus constet; *in pecuniam non cadit pretium affectionis, nisi ex nummis antiquis, rarioribus vel memorialibus constet* (b).

**COROLLARIUM 4.**

11. Quoniam pretium in genere non statuimus, nili rebus inanimatis & animantibus brutis; nec nisi *is* pretium affectionis statuitur.

**COROLLARIUM 5.**

12. Est itaque affectio propter quam rebus imponitur pretium, nil quam *amor rerum inanimatarum vel animantium brutorum* (§. 657 *Psych. Empir.*).

**SCHOLION.**

13. Sane in vernacula nostra dicimus: Wir haben eine Liebe zu dieser Sache. Z. B. zu diesem Garten.

**THEOREMA 1.**

14. *Premium Affectionis non cadit nisi res, que conservari possunt.*

**DEMONSTRATIO.**

Premium namque affectionis res habent propter affectionem (§. 7). Sed affectio illa Amor rerum inanimatarum vel animantium brutorum est (§. 12). Quodsi vero rem inanimatam vel animantia bruta amamus, ad eorum perfectionem tendimus; (§. 656 *Psychol. Empir.*). Quoniam igitur res inanimatae vel animantia bruta perfectio-

A 2

nis

---

(b) Stryck in *Vsu Moderno L. XII, Tit. III, §. 11.*

nis præter conservationem capacia non sunt;  
ad eorundem conservationem tendimus;  
consequenter quæ res conservari non pos-  
sunt, affectionem non recipiunt, adeoque  
nec pretium affectionis in res cadit, nisi quæ  
conservari possunt.

*COROLLARIUM.*

15. Hinc pretium affectionis non cadit in res  
fungibles nisi quæ servando servari possunt (c).

*SCHOLION.*

16. *Sic in esculentia pretium affectionis non cadit.*

*THEOREMA 2.*

17. *Rebus pretium affectionis statui aequo  
possibile est, ac verum ipsis statuitur.*

*DEMONSTRATIO.*

Etenim rebus pretium affectionis statui-  
tur propter affectionem singularem (§. 7).  
Jam vero nullam contradictionem involvit,  
si erga res affectionem singularem habemus  
(§. 6). Quare cum affectio propter volu-  
ptatis gradus (§. 516. 517 *Psychol. Empir.*)  
quantitatem habeat (§. 747 *Ontolog.*), æ-  
que minus contradictionem involvit, si rei  
propter affectionem singularem certam  
quantitatem affingimus, ut juxta illam ipsi-  
us ad alias rationem determinemus, ac si usus  
quan-

(c) Thomasius de prelio affect. in res fungibil. non  
cad. c. i. a. §. 27. usque ad fin.

quantitatem eidem affingimus. Quoniam igitur pretium in quantitate sita consistit, juxta quam rerum ad seinvicem ratio determinatur (§. 1), & possibile est, quidquid contradictionem non involvit (§. 85 *Ontol.*); rebus pretium affectionis statui, æque possibile est, ac verum iis statuitur.

*Aliter.*

Pretium verum rebus statuitur propter usum, quem nobis præbent (§. 2). Enim vero voluptatis singularis perceptio usus vicem sustinet. Quare cum affectio singularis sit dispositio animæ ex re voluptatem singularis percipiendi (§. 4. 6); quin propter affectionem singularem rei, æque ac propter usum pretium statui posít, dubitandum non est; atque adeo æque possibile est, ut rei pretium affectionis statuatur ac verum (§. 7).

*DEFINITIO 7.*

18. *Res estimari* dicitur, si pretium ejusdem determinatur.

*OBSERVATIO.*

19. *Liberus cuius bona ære alieno minora erant, preterito patrono extrancum heredem instituerat, querebatur an patrono bonorum possessio contra tabulas competit?* Quoniam

6 *Dissertatio Juridica, de Juramento in item*

*niam in bonis liberti majorum sepulcra erant, is ex affectu eadem ultra pretium verum aestimabat, & propterea Lex 36. ff. de Bon. Libert. quod absurdum esset declarat, si quis non ex affectu posset, sed ex aliorum computatione, sive quod perinde est, secundum pretium commune (§. 2) res estimare teneatur.*

*COROLLARIUM.*

20. Cum adeo in estimatione rerum consequenter determinando earundem pretio (§. 18) affectionis rationem habendi ipsa lege comperat facultas (§. 19); *jure rebus pretium affectionis statuimus* (Horæ Subsec. Marb. p. 245. Trimestr. Brum.).

*SCHOLION.*

21. *Imbellè proin est, si CORASIVS (d) in jure nisquam legi adserit, quod affectio sola rei estimationem crescere faciat. Projecto in dato legis casu res liberti non ex solo pretio vero estimationem habebant, alias Patronus bonorum possessionem contratabulas omissurus fuisset. Sed quoniam rerum istarum estimatione affectione Patroni creverat, ideo expediebat Patrono petere possessionem. Frustra quoque est, qui quod vocabulum in jure non legitur, rem propterea in eodem occurtere negat. Eundem cum CVJACIO (e) divisionem dominii in directum & utile propterea negante, quod vocabula in jure non reperiuntur, errorem errat: cum & res in L. 12. C. de fund. patrim.. non minus cuivis obvia sit. Ecquid obstat, quo minus termini inveniantur ad res istas indigitandas?*

*THEO-*

(d) Miscell. L. VI. c. 1. n. 5.

(e) L. XI. Obs. c. 35.

**THEOREMA 3.**

22. *Commutatione invitā rei, erga quam affectionem habemus, lēdimur, etiam solius affectionis intuitu.*

**DEMONSTRATIO.**

Etenim per commutationem invitam rei, erga quam affectionem habemus, impedi-  
mūr in percipienda voluptate, ex re isthac  
antea nobis obtingente (§. 4), quamque  
summo jure ex eadem percipere licebat (§.  
20). Ast in impedimento exercitii juris no-  
stri objecto, læsio consistit. Hinc commu-  
tatione invitā rei, erga quam affectionem  
habemus, lēdimur. Cumque hic loci at-  
tendatur solummodo privatio voluptatis ex  
re isthac olim perceptae; commutatione illa  
invita rei, erga quam affectionem habemus,  
intuitu solius affectionis nos lādi, certum  
est.

**SCHOLION.**

23. *Pone minorem emere rem que majorum ipsius  
fuit, cum pacto addictionis in diem; sed offerre se  
optimiorem emtorem. Quæritur: an ipsi res restituenda,  
an vero minor contra licitationem restitu-  
endus sit? Juxta l. 35. ff. de Minor. implorans in  
integrum restitucionem audiendus est, si ejus interesse  
emtare ab eo rem fuisse approbetur, veluti quod ma-  
jorum ejus fuisset. Quare cum restitutio in inte-  
grum non detur nisi lessi l. i. ff. de restit. in in-  
tegrum, & juxta d.l. 35. res affectionem recipit qua-  
tentus*

*tenus eam, ut a majoribus profectam consideramus;  
bac lege evidenter veritas propositionis confirmatur.*

**COROLLARIUM.**

24. Quare cum ob læsionem illatam læso competat Actio, per notoria Juri, patet solius affectio-  
nis læse nomine actionem competere.

**SCHOLION.**

25. Sic si vendidi tibi servum ea lege ut huma-  
nius tractetur, sed sine stipulatione, tu vero banc  
legem non servas, lex 7. ff. de Serv. export. dat  
actionem etiam læse affectionis ratione, cum e con-  
trario eandem deneget, si ea lege servum vendidi-  
ut a te durius tractetur, vel exportaretur, & fi-  
des non servata, quod nullum haberem interesse pe-  
cuniarium, acturus proin utiliter si non servata  
lege in pænam quam alii promisi inciderim. Unde  
sequitur, quod lex læse affectionis nomine actio-  
nem inducerit, licet interesse pecuniarium desit.  
Atque in hoc cardo rei versatur. Nil enim refert,  
quod fides data servata non sit: in eo saltē legio  
consistit. Quod vero propter banc læsionem cum  
desit interesse pecuniarium actio competit, in lege  
notatu dignum. Vellem dissentientes id aqua mentis  
lance perpendissent. Etenim in læsionibus illatis ja-  
cturam affectionis non attendendam existimat, quod  
ejus intuitu læsus damnum pecuniarium passus non  
fuerit, cum VLPIANVS in l. 1. s. 15. ff.  
si quid in Fraud. Patron. affectionem damno  
pecuniario opponat: quod sane d. l. 7. mani-  
facto repugnat; et si enim nullum damnum pecuniar-  
ium læsus venditor passus fuerit, nibilominus PA-  
PINIANVS solius læse affectionis ratione ei Actio-  
nem competere judicat. An ergo in læsionibus illa-  
tis, propterea jactura affectionis non attendenda?  
Nil

*Nil quoque movet quod actio hic ad paenam conveniam competat? Nibilominus enim Affectionis ratio ne agi affirmat J. Cris. De pena saltem convenientum ut non servata lege lites de estimatione affectionis evitarentur. Vereor proin ne CORASIVS sibi contradicat, dum hanc actionem concedit, attamen negat jacturam affectionis reparandam esse.*

**THEOREMA 4.**

*26. Si res erga quam affectionem habemus amissa, jactura pretii affectionis nobis petentibus resarciri potest.*

**DEMONSTRATIO.**

Si enim res erga quam affectionem habemus amissa, voluptate quam ex eadem iure percipere poteramus, carere tenemur (§. 4); consequenter non possumus non tedium sentire (§. 518 *Psych. Empir.*). Enimvero dantur res, quae petenti si non prorsus eandem, aequalem saltem, & interdum veriorem creare possunt voluptatem, quibus adeo acceptis, tedium jactura perceptum compensat, praesertim ubi damnum irreparabile cogitat. Hinc pater, quod si res erga quam affectionem habemus amissa, jactura pretii affectionis nobis petentibus resarciri possit.

**SCHOLION.**

*27. Evidem Cl. DORN (f) objicit, omnem affectionem oriri e circumstantiis peculiaris cuiusdam*

B

indi-

(f) in *Dissert. de Jurejur. in item pretii affectionis figura liberto §. 37. seqq.*

individui, uni alicui aut paucis quibusdam hominibus iisdemque solis proficiunt; adeoque si istud individuum haberi amplius nequeat, alius individui vel quantitatis acquisitione non posse jacturam istarum circumstantiarum peculiarium suppleri, veluti si quis Corpore Juris privatus, in quo memoriam localem habebat, quocunque acceperit premium, non tamen aliud sibi emere posse Corpus Juris, in quo memoriam istam localem habiturus sit; indeque insert Affectionem pretio estimari non posse. Enimvero ad id ut lesio illata reparetur opus non est, ut istae circumstantia restitui possint, cum saltet in se continent rationem voluptatis ex recepta, adeoque raddit quod jactura ipsius lesus sentit sed ut quid ipsi detur ex quo tantam voluptatem percipit, ut tedium perceptum pro nunquam percepto habeat. Ecce hoc impossibile sit? Quis nec sit tristitiam laxitia pelli etiam si ex alio objecto percipiatur, quam cuius jactura reparabilis tristitiam creaverat. Ea sane est fors hominum ut voluptas aeternum alternet, bocque illa infuscata non amplius tangatur, et si a diversis prorsus nascantur causas. Nec modus hic reparandi in Jure nostro insoliti quid est. Quid aliud in Actione injuriarum estimatoria sit, quam ut dolor animi ex perpessione injuria perceptus estimetur, quo lesio reparari queat? Hic fieri nequit, ut dolor ex injuria illata semel perceptus non sit perceptus, interim tamen per remedium illud cum in statum injuriantur redigitur, ut perinde sit ac si dolores perpessa asperrimos non percepisset. Idem sit in reparatione injuriarum realium, dum pro doloribus acceptis certa pecunia summa adjudicatur, qua vulgo dicitur das Schmerzen-Geld (g).  
Ea

(g) Schilte ad ff. Exerc. 19. §. 34, scqq. Tiuus in Jure priv. I. 3. c. 1. §. 1.

Ea quidem non efficit, ut quis illum in statum reducatur, quo erat ante injuriam realem illatam, hoc tamen operatur ut perinde sit ac si dolores ex verberibus percepti non fuissent, intuitu voluptatis ex oblata ista pecunia & representatione tadii ludentis cum solutione pecunia connexi, percepta. En itaque quomodo tedium cum voluptate compensetur! Cur non & idem in casu simili laesa nostrae erga res affectionis fiat? Si dicas Affectionem quam erga res habemus inestimabilem esse. Regero. Exsistimatio nostra quoque inestimabilis est, nibilominus injuriatus ad laesorem ipsius estimandam admittitur. Nec liberum corpus deformatum recipit estimationem; nibilominus deformitas, dolores percepti estimari possunt. Prorsus accommodata ad hanc objectionem sunt ea, quae suppeditat TITIVS (b) pro adstruenda aequitate exactionis dolorum & deformitatis estimationis. Atque sic puto fundamentum corrovere cui CL. DORNII opinio superstructa, dum p. 48. hanc invitus largitur propter laesam affectionem a nobis incommodum sustineri, jacturam tamen banc ius accensendam existimat, quae reparari non possunt, nec nummo sarciri.

## DEFINITIO 8.

28. Juramentum in litem dicitur, quo res litigiosa estimatur.

## SCHOLION.

29. Inde hoc Juramentum aliquando estimatorium appellari consuevit (i). Nil vero insolitus occurrit, quando lis rem litigiosam denotat.

B 2

Teste

(b) in Observat. ad Lauterbach. O. 268.

(i) Jus, & alii in rubr., D. de in lit. jurand.

*Teste enim VARRONE*, quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis. *Pluribus id confirmat BRISSONIVS (k).* Nota simul interdum in pro de usurpari, idem ut probat BRISSONIVS (l). Ex quo patet Juramentum in litem melius explicari per Juramentum de rei litigiosæ affirmatione, quam cum LUDOVICO CHARONDA (m), per Juramentum in rem de qua controversia est.

**DEFINITIO 9.**

30. *Juramentum in litem affectionis* vocatur, quo rei litigiosæ pretium affectionis determinatur.

**DEFINITIO 10.**

31. *Restitui* in sensu generali dicitur, quidquid præstandum (n).

**COROLLARIUM 1.**

32. Quidquid adeo tam actionibus realibus quam personalibus petitur, illud restituendum dicitur.

**COROLLARIUM 2.**

33. Hinc sub restitutione exhibitio, traditio & restitutio in specie sic dicta ejus quod jam nostrum est, comprehenduntur.

**THEOREMA 5.**

34. *Si quis iacturam sentit rei sibi restituendae*

---

(k) de V. S. sub verb. Litis nomen.

(l) c. L. sub In.

(m) in Libr. Verisimil. L. 3. c. 8. Thes. Jur. Rom. T. 1. p. 781.

(n) Brissoniūs c. I. sub restituere.

tuendæ erga quam Affectionem habet, Justitiæ conforme non est, ut ad juramentum in litem affectionis admittatur, quam si lædens dolo fecerit quo minus res restitui possit.

DEMONSTRATIO.

Si quis enim jaētura sentit rei sibi restituendæ erga quam affectionem habet, is qui fecit quo minus eadem restitui possit quemadmodum debuit, intuitu pretii affectionis plus habere non censendus, nisi quando id dolo fecit. Si enim id dolo fecit, voluptatem ex eo percipit quod tedium alteri creaverit, quod ex jaētura rei sentit: alter ex adverso minus habet quatenus voluptate illa, quam jure percipere poterat carere tenetur. Enimvero si quis jaētura fecit rei sibi restituendæ, casus commutationis invitæ exigit (*Horæ Subsec. Marb. pag. 256 §. 10. Trim. Vernale*). Quare cum in commutationibus invitæ Justitiæ commutativæ locus sit, eademque æqualitatem inter commutantes restituat, uni demendo quod plus habet, detractumque alteri addendo qui minus habet (*Horar. Subsec. Marb. Trim. Vern. pag. 257*); Justitiæ conforme non est, ut lædens læfo ad pretium Affectionis restituendum teneatur; consequenter læsus ad juramentum in litem Affectionis admittatur, quam si dolo fecerit quo minus res restitui possit.

**COROLLARIUM I.**

35. Vnde cum non possit dolo carere qui Imperio magistratus non paruit *l. 199. ff. de R. F. contra eum, qui restituere iussus judici non paret, & contumacia sua efficit, quo minus res erga quam alter affectionem habet ipse restitui possit, juramentum in litem affectionis prestari potest.*

**SCHOLION.**

36. Rem hanc obscure MARCELLVS in *l. 8. ff. de in lit. Jur. proposuit, dum tutor rem adulti, ait, quam possider restituere ei non vult, quare: utrum quanti res est; an quanti in litem juratum fuerit condemnari debet? Respondi: non est aequum pretio (i. e. quanti res est), litem estimari, cum & contumacia punienda sit; & arbitrio porius domini rei pretium statuendum sit, protestate petitori in litem jurandi concessa. Expresso hic distinguit a se in vicem res pretio easdemque arbitrio estimare. Atque non in illam sed hanc estimationem contumaciam condemnandum, eumque in finem juramentum in litem concedendum judicat. Ipse vero explicat quid sit rem pretio estimare: quanti nempe res sit; quod sane ad veram rei estimationem referendum, prout nonsolum per se patet, sed & probatum dedere JOANNES YANEZ PALLADORIVS (o) & BRISSONIVS (p). Dum jam huic pretio vero illud quod rei arbitrio Domini statuitur opponit, nonnisi illud quod affectionis dicitur intelligere potuit, nam nullum aliud ab arbitrio Domini pendere potest. Quare cum istud juramento in litem determinari velit; quid clarius quam quod*

MAR-

(o) in quoridian. Different. Different. 118.

(p) sub voc. quanti est.

MARCELLVS pretium & juramentum in litem affectionis agnoverit. Confirmat hanc interpretationem arbitrii l. 33. ff. ad L. Aquil. ubi PAVLVS estimationi rei quanti omnibus valeret opponit estimationem affectionum erga eandem. Nec obstat quod IAVOLENVS in l. 36. ff. de bon. Libert. illa quæ affectione estimanda sunt opponat iis, qua pretio estimanda sunt. Quid impedit, quo minus sub hoc pretium verum intelligamus. Est enim pretium verum ordinarium, extraordinarium vero pretium affectionis. Nam vero constat sepius nomine generis absolute posito speciem ordinariam indigitari. Sic notante BRISSONIO (q) restitutio in integrum absolute posita significat in specie restitucionem in integrum minorum. Neminem quoque fugit iter, viam, aqua ductum &c. Servitutes rusticæ dicit, cum tamen & urbana esse possint. Causa non latet, cum illa servitutes ordinario prædiis rusticis debeantur. Quodsi porro rationem hujus juramenti consideras quam ipsa Lex 71. ff. de R. V. suppeditat, eandem nostræ demonstrationi prorsus consentaneam deprehendes. Lex enim hoc juramentum deferendum censet, ne in potestate cuiusque sit, per rapinam ab invito Domino rem justo pretio comparare. At enim vero rapina sine animo lucrisaciendi concipi nequit. Cum itaque, in lucro iniusto inherere adeoque plus habere censeatur is, qui alterum privat re erga quam affectionem habet, licet ei pretium verum restituat, id vero intelligi nequeat nisi de voluptate quam percepit ex tædio alteri creato, eademque propositum laudandi supponat; eadem profecto est ratio legis, quam demonstratio nostra distinctius evolvit. Et quando teste SETSERO (r) vi hujus rationis Juris consulti tradunt,

(q) sub voc. restitut. in integr.

(r) in Tr. de Juram. p. m. 454.

tradunt, quod per juramentum in litem res ab actore, reo quasi vendi videantur, præcio vero plus utique in reo ponant necesse est. Præter illam voluntatem vero plus in ipso censeri nequit.

**COROLLARIUM 2.**

37. Cum quoties de laesione reparanda agitur, lata culpa in crimen dolii incidat, l. 1. §. 5. ff. de Obligar. & Act. *Juramentum in litem affectionis contra eum concedendum*, qui lata culpa fecit, quo minus rei erga quam alter Affectionem habet restitutio ipsi fieri queat, l. 2. C. de in lit. Jur. (s).

**SCHOLION.**

38. Evidem MARCIANVS ob dolum solum in litem jurandum pronunciat non etiam ob culpam l. 5. §. 3. ff. de in lit. jur. Enimvero particula hac taxativa id quod dolo minus saltem excludit, ne cunctum quod dolo aequali. Sic etiam de deposito traditum l. 23. ff. de R. J. quod dolum tanrum recipiat. Nihilominus explorati juris est, quod & latam culpam recipiat. Ceterum adhuc observa necessitatem rebus propter affectionem pretia imponendi jam in aprico esse. Vidiimus enim si dolo alterius tali re erga quam affectionem habemus carere tenemur, aequivalentem ab eodem nobis prestandam esse (§. 34). Enimvero constat pretia rebus eum in finem imponi, ne easdem sine spe aequivalentes recipiendi transference cogantur (§. 908 Mor.). Huic itaque prorsus conveniens est, si & propter affectionem res pretia accipiant.

**THEOR.**

(s) Noodt in Comment. ad Pandect. de in lit. Jur. p. 291. Coll. Struv. Ex. 19. Th. 21.

**THEOREMA 6.**

39. *Juramentum in litem pœnam dolii continet. l. 8. ff. (de in lit. jur.).*

**DEMONSTRATIO.**

Si enim Juramentum in litem præstatur, patrimonium lædantis diminuitur, cum tamen per rem erga quam læsus affectionem habuit ultra pretium verum nil ipsi accesserit; atque adeo status lædantis externus imperfectior redditur. Ex quo utique sequitur, quod malum ex Juramento in litem Affectionis redundet in lædentem (§. 565 *Psychol. Empyr.*). Enimvero malum hoc cum actione ipsius dolosa tanquam motivum eandem omittendi ex legislatoris intentione connexum. Quare cum malum, quod cum actione committenda vel omittenda ex legislatoris intentione connexum pœna sit (§. 36 *Moral.*); evidens est, quod Juramentum in litem Affectionis pœnam dolii continet.

**SCHOLION.**

40. Patet adeo quod Juramentum in litem saltē a parte lædantis pœnam, a parte vero lœsi satisfactionem continet. Labitur itaque Cl. DORN, quando putat, Juramentum Affectionis apud nos cessare, cum pœna pecuniaria Juris Romani lucro Actoris cedentes apud nos non sint recepta, sed potius frumentis Jurisdictionis accessenda. Quid si instantiam dando respondeam? actio injuriarum affirmatoria

C

toria pœnam pecuniariam continet Actori applicandam. Ergo apud nos recepta non est. Quod nemo dixerit, sed omnes potius expressam ejusdem requirunt abrogationem. Falso hic supponitur universalis harum pœnarum non usus: cum pœnarum dupli Jure Provinc. Würtenb.<sup>(t)</sup> approbatarum exemplum & vel unice ius figmentum ostendat. Saltēm ex pœna revente censenda sunt, qua simul aquam satisfactionem continent ex parte laeti: cui qui madmodum eadē in salva æquitate non denegari, ita nec fisco adjudicari potest. Recte proin judicat B. SCHILTER<sup>(u)</sup>: Juramentum in item Affectionis in foro practicari posse, quod nec principia Juris patrii evertere, nec æquitati naturali contrariari censeatur. In eo vero paratragædiatur, quod ad CARPOVIVM provocet, dum illud non solere frequentari asserti, quasi illi de non usu tētis omni exceptione major esset, ita ut propter bujus autoritatem, intentionem ejus, qui in aquitate naturali Jure Romano confirmata intentionem suam hoc in casu fundat & ad Juramentum in item Affectionis admitti vult, pro non fundata declaremus? Presertim cum huic Doctori plures alios non inferioris subsellii opponere liceat, inter quos eminet Perillusris Dn. de WERNHER, sat frequentia hujuscēdē jurisjurandi hodieque exempla occurrere intrepide asserens<sup>(x)</sup>.

### COROLLARIUM I.

41. Cum itaque pœnam dolii luere nequeat nisi dolosus; contra bāredem tantum ob dolum proprium neutiquam ob dolum defuncti in item jurare potest.

COR.

<sup>(t)</sup> P. II. Tit. III. §. wenn einer p. 747.

<sup>(u)</sup> Exerc. ad Pand. XXIII. §. 55.

<sup>(x)</sup> in Sel. Obs. For. Vol. V. P. 2. O. 408. coll. P. IV.  
P. 416.

**COROLLARIUM 2.**

42. Quoniam vero hæres lite cum defuncto contestata non ad penam doli ipsius, sed ad id quod ex quasi contractu litis contestationis deber tenetur; *nil obstat quo minus contra hæredem lite cum defuncto contestata in item juretur.*

**COROLLARIUM 3.**

43. Cumque hic solummodo consideretur an alicujus dolo res alteri restituenda interversa fuerit; etiam adversus Principem, patrem & matrem juratur in item.

**SCHOLION.**

44. Nil movet quod quidam ob reverentiam his personis debitam in contrarium proferunt: etenim opus non est, ut doli mentio fiat, sed sufficit si factum ita enarretur, ut dolus apparere queat. Constat quoque Principem in contractibus jure privatorum uti, saltem his in causis ubi facto suo alterum re privat, erga quam jure affectionem habere poterat ultro, legibus se subiecisse censendus.

**THEOREMA 7.**

45. *Pretii Affectionis in Lege Aquilia nulla habenda ratio* (l. 33. pr. ad Leg. Aquil.).

**DEMONSTRATIO.**

Etenim in Lege Aquilia res æstimatur non tanti, quanti tempore damni est, sed quanti in eo anno vel diebus 30 proximis retro plurimi fuerit, qua ratione creditum est penalem esse hujus Legis actionem §. 9.

14. *Inst. de Lege Aquil.* Jam vero & pre-  
C 2 *gant secundum duum* (c) *titum*

tium affectionis in poenam præstatur (§.39). Iniquum vero esset, si quis propter idem delictum bis puniretur. Hinc patet, quod pretii Affectionis in Lege Aquilia ratio haberi nequeat.

### SCHOLION.

46. Hinc & PAVLVS negat, quod per interpretationem Lex Aquilia ad pretium Affectionis extendi possit. Cum enim Lex rem estimari jubeat quanti est, non aliter putandum, quam quod veram sattem estimationem intellexerit (§. 36): quoniam Lex penalis adeoque non extendenda est. Ficulnum proin argumentum est: Prelio Affectionis in lege Aquilia locus non est. Ergo prorsus non attendens. Atque sic PEDIVS in bac l. 33. & 63. ff. ad Leg. Falcid. explicandus: quando enim sit, pretia rerum non ex affectu nec utilitate singularorum sed communiter fungi, nil dicere voluit, quam quod res estimantur quanti sunt apud omnes: prout etiam agnovit BRISSONIVS (y) & ipse PAVLVS; dum ait PEDIVI autoritate nixus, non estimandas esse servi occisi affectiones, sed quanti omnibus valeret. Quod vero PEDIVS de estimatione rerum in genere locatus fuerit adduci non possum ut credam. Quomodo enim in l. 13. §. 1. ff. de V. S. afferere potuisse res ex arte quoque estimari posse? tunc sane non estimantur, quanti omnibus valent, nec tamen aliter PEDIVM intelligere licet quando, plerumque plus est in manus pretio quam in re, ibidem ait: idem enim dixit quod PAVLVS l. 14. ff. eod. tit. scribit: quarundam rerum pretium

(y) sub voce fungi.

tium non in substantia, sed in Arte est positum. Ergo PEDIVS de *estimatione rerum ordinaria intelligendus*. Quin ex *subjectis inc. l. 63.* & *§ 33 rationibus § (§.36) magis determinari potest*, quando res non ex affectione sed communiter *estimanda* sint, quoties nempe considerantur quatenus ex *iisdem locupletiores redditum*. Nec id abhorret a mente PAVLII. Ei enim hæc ratiocinia obversabantur. Si servum meum occidisti, patrimonium meum diminuisti. Hanc diminutionem lex vult reparari. Ergo servus *estimandus* quatenus per eundem locupletior redditus fui. Nam vero secundum PEDIVM quoties res consideratur quatenus nos locupletiores reddit, non ex affectione sed communiter id est, quanti omnibus valet *estimanda*. Ergo si servum meum occidisti, non affectiones *estimandæ*, sed quanti omnibus valeret. Absit itaque ut propriea, quod PAVLVS & PEDIVS in hoc casu pretio affectionis locum non concedunt, statuas quasi id prorsus non agnovissent. Frustra ergo sunt CORASIVS (z) & CL. DORN (a), dum in impugnando Juramento in item *Affectionis ad has leges provocant.*

## THEOREMA 8.

47. *Affectio nulla est nisi erga rem nostram vel quæ nostra fieri debet.*

## DEMONSTRATIO.

Pone enim nos affectionem habere posse erga rem quæ nostra non est, seu erga rem alienam. Quoniam hæc affectio nullum potest habere effectum Juris nisi in eo casu,

C 3

quo

(z) c. l. n. 4.

(a) c. l. §. 39.

quo ob eandem quantitas ejus quod nobis ab altero debetur, efficeretur major; evidens est alterum propter affectionem nostram censeri debere locupletiorem, cum tamen non sit (§. 8). Vnde quia solvere mihi teneretur plus quam debet, manifesto lädeatur. Nulla igitur affectio erga rem alienam haberi potest; atque adeo affectio nulla est nisi erga rem nostram. Quare cum & res qua nostra fieri debet, quasi nostra sit, idem quoque de hac valet, quod de illa demonstratum.

**COROLLARIUM 1.**

48. Hinc consequitur quod cum *Quarta Falcidia* propter similem Affectionem ultra veram quantitatem augeri deberet; nec *in ea computanda* pretii *Affectionis ratio* haberi possit (l. 42 ff. ad Leg. Falcid.).

**COROLLARIUM 2.**

49. Idem cum obtineat in bonis patrono a liberto relinquendis (b); si *Patronus iis relictis*, res a liberto alienatas propter Affectionem solam, quam erga ipsas habet revocare vellet; ad *juramentum in litem* admittendus non est (l. 13. §. 15. si quid in Fraud. Patron.).

**THEOREMA 9.**

50. Si *Legatarius contra hæredem ad juramentum in litem* admissus, *in computanda* *quarta*

(b) Conf. *Illiustr. Heineccius in Comment. ad L. Jul. & Pap. II. ult.*

*quarta attendi nequit pretium affectionis (l.  
60. §. I. ff. ad Leg. Falcid.).*

**DEMONSTRATIO.**

Etenim Legatarius ad Juramentum in litem admittitur non qua Legatarius, sed quatenus defraudatus est re sibi debita. Quarta vero ipsi detrahitur qua Legatario. Quare cum Legatum aestimandum sit secundum pretium verum; in computanda quarta attendi nisi pretium verum.

*Aliter.*

Pone attendi in computanda quarta debe-  
re pretium Affectionis. Ob pretium ergo  
Affectionis Legatarius locupletior reddi cen-  
fendus esset. Ob pretium Affectionis vero  
nemo locupletior censeri potest (§. 8.). Er-  
go nec pretium Affectionis in computanda  
quarta attendere licet.

**SCHOLION.**

*¶ 1. Quodsi in computanda quarta ratio haberetur  
pretii Affectionis, plus relinquere deberet Legatarius  
heredi quam teneretur: consequenter manifesto ipse  
injuria fieret. Nimirum duo hic concurrunt di-  
versi prouersus casus, qui invicem non sunt miscendi,  
sed potius a se invicem separandi, & quid in uno  
quoque juris obtineat, non attento altero definien-  
dum. Casuum concursus fortuitus est, adeoque al-  
teri neuter mutationem inducere valet. Vnde  
quoad pretium Affectionis perinde est, ac si demum  
legato*

*sup.*

legato soluto rem suam alteri intervertisset. Ceterum ex his luce meridiana clarius est, errore labi illos, qui ex his legibus contra pretium Affectionis argumentum ducunt. Quae enim consequentia: pretium Affectionis nec in quarta Falcidia nec in computandis bonis a liberto Patrono lege relinquendis attendendum; Ergo omnino non attendendum? Non firmiori tali nittitur argumentum quod Cl. Dorn ex c. l. i. §. 15. ff. format, dum opponit, ait: hic evidenter Jurisconsultus affectionem damno pecuniario, ita ut ubi affectio sit, ibi nullum sit damnum ejusdem Patroni pecuniarium, & ubi damnum pecuniarium sit, ibi nulla sit Affectione. Nil inde sequitur, quam quod pretium Affectionis attendendum non sit, ubi res considerande, quatenus iisdem locupletiores reddimur, adeoque damnum non nisi pecuniarium in considerationem venit: inde tamen non sequitur, illud prorsus attendendum non esse, ubi jactura rei istiusmodi dolo alterius imputanda.

### THEOREMA IO.

52. *Juramentum in item Affectionis deferri nequit, nisi in actionibus quibus persequimur rem nostram, vel que nostra fieri debet.*

### DEMONSTRATIO.

Etenim Juramentum in item Affectionis deferri nequit, nisi ubi agitur de restituendis rebus (§. 34). Cum vero pretii Affectionis determinandi gratia deferatur (§. 30); nec deferri potest, nisi ubi pretium Affectionis obtinet. Quare cum pretium Affectionis non obtineat, nisi in re nostra vel quæ

quæ nostra fieri debet (§. 47); nec omnibus actionibus rem nostram, vel quæ nostra fieri debet persequamur; evidens est, quod Juramentum in litem Affectionis deferriri nequeat, nisi in actionibus quibus persequimur rem nostram vel quæ nostra fieri debet.

### COROLLARIUM 1.

53. Hinc juramento in litem Affectionis locus est in rei vindicatione l. 68. ff. de R. V. adeoque & Actione Publiciana l. 7. §. 8. ff. de Public. in Rem Act. & Aet. ad exhibend. l. 2. §. 5. ff. de in lit. jur. In Hæreditatis petitione l. 25. §. 10. de Hæredit. petit. Actione commodati l. 3. §. 2. ff. de Commodat. depositi l. 1. §. 26. ff. depos. pignoratitia (c), emti (d), & cæteris similibus Actionibus.

### COROLLARIUM 2.

54. Cum itaque actione hypothecaria contra tertium possessorem instituta, nec rem nostram, nec quæ nostra fieri debet, persequamur; creditor actione hypothecaria contra tertium possessorem instituta, ad Juramentum in litem Affectionis admitti nequit (e).

### SCHOLION.

¶. Videtur quidem, quando debitor in actione pignoratitia contra creditorem ad Juramentum in in litem admittitur (§. 53), hic contra tertium posse D seffo-

(c) Lauterb. in Coll. Theor. pr. Tit. de in lit. jur. §. 17.

(d) Mencke in Gymnas. Polem. p. 96.

(e) Anton Faber de Error. Pragmat. Decad. 10. Error. I. p. m. 431, & Error. Ill. p. 437.

*sefforem rei oppignorata ad idem admittendus. Enim vero per id, quod debitor juramentum in litem praestat, contra creditorem huic nil accrescere potest, quod non antea ipsi debebatur. Eodem enim modo sepe res habet, ac in supra (§. 51) definita controversia inter heredem & Legatarium. Duo nimis et hoc casus fortuito concurrunt, quorum neuter ab altero penderet; consequenter uterque nullo respectu ad alterum habito definiendus. Frustra quoque est Celebr. No ODT (f), quando obicit, certum esse actionem hypothecariam, eque ac ceteras in rem actiones ad restitutionem judicis arbitrio pertinere. Hoc namque non sufficit: cum non omnis res restituenda recipiat pretium Affectionis, quale tamen juramentum in litem Affectionis requirit.*

**COROLLARIUM 3.**

56. Quoniam fieri potest, ut & actionibus contrariis persequamur res nostras, l. 22. §. 3. ff. de Act. pignorat. nil impedit, quominus tunc in Actionibus contrariis quoque ad juramentum in litem Affectionis admittantur (g).

**SCHOLION.**

57. Atque hoc casu fides data rupta dicenda. Ita SETSERVS (h): fidem is demum rumpit qui rem alienam, quam ex bona fidei contractu habet a Dominis non vult ei restituere, & quidem dolo malo cum poslit, aut si fecerit ne possit. Consentiant ergo l. s. pr. ff. depol. & d. l. 22. Vulgo hac in questione eo tan-

(f) in Comment. ad ff. Tit. de in lit. jur. p. 289.

(g) Mencke ad Lauterb. ad verb. in contrarium.

(h) c. l. p. 482.

eo tantum respiciunt, quod actionibus contrariis saltem ad expensas agatur. Enimvero hic non est unicus casus. Et in eo propterea excluditur juramentum in item Affectionis, quoniam expensa in præstatione pecuniaria consistunt, que pretium Affectionis non recipit (§.25).

## THEOREMA II.

58. Juramento in item Affectionis tam in Actionibus bona fidei, quam stricti Juris locus est (i).

## DEMONSTRATIO.

Hæc enim Actionum divisio a diversitate negotiorum profluit (k). Querela vero est de facto doloso, quo rem nostram, vel quæ nostra fieri debuit, alter intervertit (§.47). Apparet itaque querelam non nasci ex negotio; consequenter nec ex negotio definiti potest, quomodo sit tollenda sed ex facto. Quoniam itaque factum, qualecumque tandem negotium fuerit idem, eadem quoque in omni negotio, ad tollendam querelam obtinet ratio. Quamobrem cum ad eandem tollendam deferatur juramentum in item Affectionis; idem deferendum, sive negotium bona fidei sive stricti juris fuerit.

D 2

SCHO-

(i) Stryck in Vnu Moderno L. XII. Tit. III. §. 6.

Ludovici in Tr. Dist. p. 189.

(k) Illustr. Böhmer in Libro de Action. p. 33.

**SCHOLION.**

59. Consentit cum his CHARONDAS (*l*) qui pro acumine suo perspexit a qualitate facti non a natura negotii rem omnem hic pendere. Econtrario vero vapulat JOHANNES STUCKIUS (*m*) existimans, cum natura stricti juris judiciorum haec sit, quod non plus comprehendant quam ab initio ex conventione partium vel natura lege istis data venit, juramento Affectionis in illis judiciis locum non esse. Concurrunt rursus 2. casus, nempe pactum ex quo quid debetur, & factum dolosum, quo quid debebatur, intervertitur. Ex negotio stricti juris quidem non debetur plus quam quantum conventum. Ait ex facto quin plus debeatur non repugnat. Nec intuitu negotii querela est, sed saltem intuitu facti. Immo intuitu illius perinde est, ac si reus obligationi sue satisficeret, & postea demum factu doloso rem intervertisset.

**THEOREMA 12.**

60. *Juramentum in litem præter judicem nemo deferre potest* (*l. 4. §. 1. ff. de in lit. jur.*).

**DEMONSTRATIO**

Quoniam enim hoc Juramento dolus lex dentis punitur (*§. 39*), nemini facultas hoc juramentum deferendi competere potest quam ei, qui jus poenias subditis dictandi habet. Quare cum hoc non nisi penes judicem sit (*§. 469 Polit.*). Juramentum in litem præter judicem nemo deferre potest.

*COR.*

(*l*) c. I. p. 782.

(*m*) in Consil. P. I. C. IV. n. 556.

**COROLLARIUM.**

61. Cum igitur hic cesser ratio l. 26. ff. de *Jurejur.* ubi de Juramento judiciali agitur quod pars parti defert; adeoque sibi imputandum habet quando sciens pupillo derulit; *Juramentum in litem Affectionis pupillo deferri nequit* (l. 4. pr. ff. de in lit. jur.).

**THEOREMA 13.**

62. *Juramentum in litem Affectionis deferri nequit, nisi ei cuius de Affectione queritur.*

**DEMONSTRATIO.**

Quoniam enim Juramentum in litem Affectionis defertur, ut pretium Affectionis determinetur (§. 30); deferri nequit nisi ei qui scit qualis & quanta sit Affetio. Enimvero cum affectio oriatur ex eo, quod nobis placet (§. 648 *Psychol. Empyr.*), quod & quantum placeat nemo novit, praeter eum, de cuius affectione queritur. Ergo juramentum in litem affectionis deferri nequit, nisi ei, de cuius affectione queritur.

**COROLLARIUM.**

63. Cum itaque non de procuratoris sed principalis affectione in causa litigiosa queratur; *procurator in litem jurare nequit, nisi ex mandato speciali in animam principalis* (n).

**DEFINITIO II.**

64. *Dominus Actionis* vocatur, cuius nomine lis contestata. D 3 COR.

(n) Per-Illustr. Dn. Coccej. de in Jure Controv. p. 647.

**COROLLARIUM.**

65. Hinc necesse non est, ut Dominus Actionis simul sit Dominus rei & ab utroque differt Dominus litis.

**SCHOLION.**

66. Sic in Actione hypothecaria debitor rei oppugnata Dominus est; Actionis hypothecaria Dominus est creditor; litis que de hypotheca in judicium deducta Procurator Dominus censetur. Nec infrequens esse litis nomen actionem significare ostendit BRISSONIVS. (o).

**THEOREMA 14.**

67. *Juramentum in item deferri nequit, nisi Domino Actionis* (l. 7. ff. de in lit. jur.). (p).

**DEMONSTRATIO.**

Etenim Juramentum in item deferri nequit, nisi ei de cuius affectione queratur (§. 62). Enimvero is non est, nisi cui restitutio rei amissae fieri debuisset. Quare cum ei restitutio fieri debuisset, cuius nomine lis contestata; adeoque Domino Actionis (§. 64). Patet Juramentum in item deferri non posse, nisi ei cuius nomine lis contestata.

**THEOREMA 15.**

68. *In causa pupilli Tutor ad Juramentum in item Affectionis admittendus est* (l. 4. ff. d. t.).

**DE-**

(o) c. l. sub voc. litis nomen.

(p) Lauterb. in Coll. Theor. Pr. L. XII. T. III. §. 10.

**DEMONSTRATIO.**

Quoniam enim de affectione pupilli queritur, is jurare deberet (§. 62). Sed pupillus hac in causa jurare nequit (§. 61); Tutori vero jus est ea peragendi, quæcunque pupillus rationi conformiter peracturus fuisse præsumendus. Si itaque præsumendum, pupillum affectionem ergarem habitum; Tutor in causa ipsius ad juramentum in item Affectionis admittendus.

**COROLLARIUM 1.**

69. Cum itaque non nisi de affectione propria jurare possit; *Tutor sub ea formula in item jurare debet*, se si personam pupilli sustinueret rem tantum aestimaturum (p).

**SCHOLION.**

70. Evidem *GOTHOFREDVS* (q) alias *formulas affert*, veluti pupillum tali summa carere nolle, vel id tantum pupillo prodeesse potuisse, idque se certo aestimare, cum pupilli facultates notas habeat. *Enimvero prior que ACCVRSIUS est repugnat ei, quod tutor juret de affectu proprio, & posterior quam prefert ZASIVS, contrariatur notionem hujus juramenti, utpote quo pretium affectionis determinandum, in quo utilitatis ex re nulla habetur ratio.*

**COROLLARIUM 2.**

71. Cum Tutor sub ista formula in item jurare detrectans, pejerare metuat necesse sit; *iniquum*

(q) Brunnem. ad l. 4. ff. de in lit. jur.

(r) ad l. 4. pr. ff. de in lit. jur. lit. q.

quum esset, se Tutor invitus in litem jurare cogere-  
tur (l. 4. pr. ff. de in lit. jur.).

**SCHOLION.**

72. Lex ait grave videbatur. *Enimvero gra-*  
*ve interdum idem significare ac iniquum, elucet ex l.*  
*1. ff. de pecun. confit. ubi VELIANVS: grave*  
*est fidem fallere.*

**COROLLARIUM 3.**

73. Quoniam de Affectione matris non qua-  
ritur in causa liberorum, nisi earundem tutrix sit;  
*Matri juramentum in litem non deferendum est, nisi*  
*liberorum tutrix sit.* (s).

**SCHOLION.**

74. *Male Cel. VOET.* (t) cum ACCVRSIO ex-  
istimat, rationem cur mater excludatur vehementiam  
materni affectus esse. Longe aliam contextus suppe-  
ditat. *Questio enim est, quis in causa tutelari jura-*  
*re possit cum tutor jurare nolit.* Quoniam itaque  
lex matrem non admittendam pronuntiat, id banc  
ob causam sit, quod tutrix non est, nec tamen Do-  
mina actionis; adeoque prorsus non de ipsis affectio-  
ne queritur.

**DEFINITIO 12.**

75. *Affectio rationalis* dicitur, quæ recta  
est.

**DEFINITIO 13.**

76. *Affectio irrationalis* seu stulta est, quæ  
minus recta est.

*SCHO-*

(s) Per - Illustr. Dn. de Coccejus in *jure Controv.*  
P. 647. (t) Tit. ff. de in lit. jur. §. 3.

**SCHOLION.**

77. Suppono notiones actionis recta & minus recta ex Philosophia Wolsiana (§. 950 Part. i. Theol. Nat.). Nimirum affectio appetitus sensitivus est: is vero rationalis demum predicari potest, si in concordiam cum appetitu rationali redactus. At enim vero tunc quoque rectus est: quoniam appetitus rationalis est, qui rationem sufficientem habet in agentis essentia & attributis, et si non semper proximam seu immediatam, sed sapissime remotam sive medium tam: in posteriori enim casu resolutio rationum tandem terminatur in essentialibus determinationibus vel attributis agentis. Sic affectio, quam erga bona habemus, in quibus majorum sepulcra sunt, rationalis babenda, eandemque ipse leges approbant (§. 19), est vero eadem recta: siquidem appetitus sensitivus rationali conformis est, dum oritur ex reverentia, quam majoribus nostris debemus.

**AXIOMA.**

78. Nemo ad Juramentum in item Affectionis, nisi ob Affectionem rationalem admittendus.

**SCHOLION.**

79. Quiso an non minus rectum recto equipares, si ultum effectum juris affectioni irrationali relinqueres? Leges non patrocinantur ei quod minus rectum sed rectum est.

**COROLLARIUM.**

80. Vnde cum judicis sit, deferre juramentum (§. 60), adeoque & determinare, an affectio rationalis sit nec ne, in arbitrio judicis est deferre iusjurandum nec ne l. 4. §. 2. ff. de in lit. jur. (u).

E

SCHO-

(u) conf. Vinnius in Sel. jur. Quæst. Lib. I. cap. 45.

**SCHOLION.**

81. *Noli putare quasi iCtus sibi contradicat, dum  
§. I. c. l. affirmat, deferre jusjurandum judicem  
sopportare. Si affectionem agnoscit rationalem; utique  
sopportet eundem deferre, nihilominus tamen ab arbitrio  
ipius dependet delatio. Probe enim DVARENVS  
(v) & CORASIVS (x) perspexere, que arbitrio  
judicis permissa, non in meram voluntatem ipsius col-  
lata esse.*

**THEOREMA 16.**

82. *Si Affectio ex virtute oritur, eadem  
Juramento in item facit locum.*

**DEMONSTRATIO.**

Si enim Affectio ex virtute oritur ipsa ad appetitum sensitivum referri debet, qui cum rationali concordat. Enimvero appetitus rationalis est, si rationem sufficientem habet in agentis essentia & attributis. Quare cum appetitus rectus dicendus sit, qui rationem sufficientem in essentia & attributis agentis habet (§. 950 Part. I. Theol. Nat.); si affectio ex virtute profluit recta est, atque adeo locum facit Juramento in item (§. 78).

**THEOREMA 17.**

83. *Jurare licet in infinitum, i. e. numer-  
rus*

---

(v) ad Tit. de in lit. jur. n. 29.

(x) ad Leg. §. cod. n. 21.

*rus Jure indeterminatus est, intra quem ju-  
randum (1. 4. §. 2. ff. de in lit. jur.).*

**DEMONSTRATIO.**

Per Juramentum enim certum fieri debet, quanti quis rem suam ob affectionem aestimet (§. 30); consequenter Lex ipsi praescribere nequit, quanti eam aestimare debat. Nullum igitur determinare potest numerum intra quem jurare licet; adeoque permittere debet, ut juretur in infinitum.

**SCHOLION.**

84. *Plures Textus suppeditat BRISSONIVS*  
(y), in quibus similiter to infinitum, numerum  
indeterminatum significat. Notissimus est §. 4. Inst.  
de hæred. Inst. Et unum hominem, & plures  
usque in infinitum, quo quis hæredes velit fa-  
cere licet.

**THEOREMA 18.**

85. *Juramentum deferendum est sub hac  
formula, quod Actor nolit re carere, etiam si  
ipsi haec pecunie summa offeratur.*

**DEMONSTRATIO.**

Etenim Juramentum defertur, ut certum fiat pretium affectionis (§. 30). Certum autem fieri intelligitur, si optione data rem pretio præferret: cum sic constet eum eandem non minoris facere, nec reus con-

E 2 queri

---

(y) c. l. sub vocab. in infinit,

queri possit, quasi majus postulet, quam  
quanti eam fecerit. Patet igitur juramen-  
tum recte sub ea formula deferri.

### *SCHOLION.*

86. *Hanc formulam ipsi juramenti in litem de-  
finitioni inseruit PRATÆ JVS (z) dum inquit: In  
litem jurare, est suo arbitrio præstito juramento,  
pro quanto nollet re carere, rei aestimationem se-  
cundum suum interesse singulare facere. Ean-  
demque nostra vernacula conceptam bis verbis pro-  
ponit Per-Illustris Dn. de WERNHER (a): Es  
könnte und wolte Kläger einen Eyd zu Gott und auf  
sein heiliges Evangelium schwören, daß er lieber v.  
gr. 1000 Thlr. verleihren, als das seine entbehren  
wolte / daß er alsdenn mit angedeuteter aestimation  
zugelassen und darauf ergehen soll was recht ist. Ne-  
scio igitur qui Cl. DORNIO bac formula cavilla-  
toria videri potuerit (b). Que subsit cavillatio,  
si actor juret se optione data inter determinatam pec-  
uniae summam & rem amissam hanc prelaturum  
fuisse? Quid aliud vero sit, dum secundum prædi-  
cam formulam juratur? Labitur quoque, quando  
querit, qualis haec sit consequentia: Vellem ego  
potius centum imperialibus, quam ista effigie ca-  
rere. Ergo alter qui hoc non vult, debet mihi in-  
virus solvere 100? Cedo quis ipsum propterea ad  
solendum cogit: hujus coactionis rationes longe a-  
lie in superioribus deductæ. Juramentum hoc cum in  
finem non adhibetur, sed tantum ut constet de exi-  
stentia & quantitate Affectionis. An vero iustum  
sit eandem læso præstari, ex aliis principiis deciden-  
dum.*

DE-

(z) in vocab. utriusque juris p. 323. sub voc. in litem.

(a) c. l. p. IV. p. 417. (b) c. l. p. 36.

**DEFINITIO 14.**

87. *Affectio inordinata* dicitur, quæ quoad gradum irrationalis est.

**COROLLARIUM.**

88. *Affectio inordinata* igitur ordinata fit, si quoad gradum rationi consentanea redditur.

**AXIOMA.**

89. *Judicis est affectionem inordinatam ordinare.*

**SCHOLION.**

90. Alias profecto justam conquerendi causam habet reus, si propter affectionem actoris inordinatam condemnaretur; actor vero si reus propterea absolveretur, cum affectio quoad causam rationalis ponatur.

**THEOREMA 19.**

91. *In arbitrio Judicis est jusjurandum vel cum taxatione deferre, i. e. determinare quantitatem ad quam juretur, vel sine taxatione, sive non determinare quantitatem ad quam juretur (l. 5. ff. de in lit. jur.).*

**DEMONSTRATIO.**

Etenim id agendum est Judici, ut & exactitati studeat, & omne quantum datur odium a se amoveat. Quamobrem ubi videt Actorem arrepta occasione in immensum juraturum, consultum est, ut cum taxatione deferat juramentum, ubi vero ex adverso prævidet reum conquesturum de

taxatione majoris facta, quam quanti rem suam aestimaturus fuissest Actor, prudentiae est juramentum sine taxatione deferri. Quam obrem cum haec dijudicatio a circumstantiis particularibus dependeat; in arbitrio Judicis relinquendum erat, utrum cum an sine taxatione juramentum deferre velit.

*SCHOLION.*

92. *Hoc in primis observandum in statu populari, qualis erat Romanorum, ubi odia partium declinanda judici quantum fieri potest.*

*THEOREMA 20.*

93. *Judex moderans summam juratam, perjurii non redarguit jurantem.*

*DEMONSTRATIO.*

Judex enim non in dubium revocat, quod tanti rem suam aestimet Dominus quanti jurat, sed Affectionem ejus modum excedere judicat. Quoniam itaque quantitatem juratam moderat, ut affectionem inordinatam in ordinem revocet (§. 88), ne pars adversa justam conquerendi causam habeat; evidens omnino est, quod jurantem perjurii non redarguat.

*THEOREMA 21*

94. *A&io stricti juris qua petitur restitutio rei erga quam affectionem habemus, que vero dolo alterius amissa, arbitraria fit.*

*DE-*

**D E M O N S T R A T I O .**

Etenim si petitur restitutio rei , erga quam affectionem habemus , & quæ dolo alterius amissa , arbitrio judicis relictum est , utrum velit juramentum deferre nec ne (§. 80) , & quando defert , num velit deferre cum taxatione vel sine taxatione (§. 91) ; con sequenter rei restitutio ab arbitrio judicis dependet . Quamobrem cum Actio stricti juris fiat arbitraria , quoties restitutio rei arbitrio judicis relieta (c) . Actio quoque stricti juris arbitraria fit , qua petitur restitutio rei erga quam affectionem habemus , quæ vero dolo alterius amissa .

**S C H O L I O N .**

95. Atque sic occurri potest argumento B. G V N D - L I N G I I , quod profert (d) contra juramentum in item affectionis in actionibus stricti juris deferendum . Quomodo jurabitur , inquit , in strictis judiciis ex affectu , eumque affectum ponderare poterit judex , qui formula est inclusus , seu actioni alligatus , ac præter verba nuncupata aut scripta nihil amplius intelligere cupit , vel expendere debet ne dicam , arbitrari sollicite ? At cur si alio quam in quem sibi dari quis stipulatus fuerat loco agitur , officium judicis quantitatí contractus non subseruit , sed vel angere vel minuere condemnationem propter loci utilitatem potest l. 2. l. 4. §. 1. l. 7. 25 l. ult.

(c) Briffonius c. 1. sub voc. arbitraria.

(d) in Diff. de usu Pr. Act. bona fidei & stricti juris  
c. 1. §. 51.

*I. ult. ff. quod cert. loc? Non alia ratio est, quam quod ejus estimationis tota ratio arbitrio ejus committatur, adeoque arbitraria ex stipulatu actio fiat. Cur non ergo & hic judicem formula non inclusum statuamus? Cum similiter judicia stricta arbitraria fiant.*

**PROBLEMA.**

**96. Determinare modum, quo judex premium Affectionis moderare, vel rem restituendam taxare debeat.**

**RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.**

Quoniam moderatio & taxatio eum in finem fit, ut Affectione inordinata a judice in ordinem revocetur, amba co tendunt, ut Affectione etiam quoad gradum rationi conformis evadat. Rationi vero convenit, ut si optio detur, vel rem de qua litigatur vel certam pecuniae summam eligendi, haec præferatur, ubi ex ejus usu majorem voluptatem quis percipere debet, quam ex possessione rei litigiosæ, propterea quod illa status ipsius perfectior redditur, quam hac.

Quamobrem :

**1. Judex considerare tenetur conditionem Domini, ut intelligat, quem facere possit pecuniae usum, & quantum is conferat ad status ejusdem perfectionem, consequenter judicium ferre queat, num optione data, rationi magis conveniat certam pecuniae summam rei præferre.**

**2. Ex-**

2. Expendere etiam idem debet conditio-  
nem rei , tum ut intelligat, num pre-  
tii solutio dura ipsi accidat, tum ut ipsi  
innotescat admissi doli vel culpæ gra-  
dus. Cum enim quod ultra commune  
pretium solvitur poenæ rationem ha-  
beat , cavere debet Judex, ne de poe-  
næ gravitate justas movere querelas  
possit reus , cum & rationi consentaneum  
sit, ne ultra modum puniri eum  
velit Actor.

Quodsi ergo pensitatis utrinque circum-  
stantiis particularibus utriusque conditio-  
nem inter se conferat Judex , quid in dato  
casu conveniat rationi , ut ex utraque parte  
justæ quærelæ tollantur , siveque justitiae  
commutativæ satisfiat , quod innotescere de-  
beat , ex dictis haud obscure patet.

**DEFINITIO 22.**

97. *Juramentum in litem veritatis vocatur,*  
quo determinatur pretium verum.

**COROLLARIUM 1.**

98. Cum juramento tunc demum locus sit,  
quando veritas aliis modis in apricum produci  
nequit (§.998 Moral.); nec juramento in litem ve-  
ritatis locus , nisi quando judex rei verum pretium  
aliter determinare nescit (l. 3. ff. de in lit. jur.).

**COROLLARIUM 2.**

99. Cumque pretium verum determinetur, ut  
F loco

loco rei restituatur; *Juramentum in litem veritatis tunc demum obtinet quando res extat* (§. 1. 68. ff. de R. V.).

### **THEOREMA 22.**

**100. Notio juramenti in litem veritatis vera est.**

### **DEMONSTRATIO**

Conjuguntur enim in hac notione juramentum in litem & pretium verum. Enimvero illo posito non ponitur contrarium huius, nec vice versa, quin potius indeterminatum relinquitur, quale sit rei litigiosae pretium; consequenter in hac notione non illuntur quæ sibi mutuo contradicunt (§. 45 *Ontolog.*). Quoniam itaque notio, in qua conjuguntur quæ sibi mutuo non repugnant, possibilis (§. 85 *Ontolog.*), & notio possibilis vera dicitur (§. 547 *Log. Lat.*); Notio juramenti in litem veritatis pro vera habenda.

### **OBSERVATIO.**

**101.** Si promissor Stichi moram fecerit, & Stichus decesserit, MARCIANVS in l. s. §. 4. ff. de in lit. jur. *juramento in litem locum concedit, si sine ipso judex estimare nequeat rem hanc restituendam, que non extat.* Videtur quidem MARCIANVS generaliter loqui, dum inquit, *quia judex estimare sine relatione (seu potius delatione ut NOODT*

c. l. legit) jurisjurandi non potest rem quæ non extat. At particulam quia hic pro si sumi jubet l. 3. eod. Vtpote secundum quam iuramento in litem locus non conceditur, si judex rem non extantem estimare potest. Leges enim interpretandæ sunt ut concordent. Nil quoque insoliti hic sit: etenim jam BRISSONIUS (e) observavit, interdum quia sumi pro quatentis vel si.

### COROLLARIUM.

102. Cum adeo in Jure nostro casus juramenti in litem occurrat, in quo deprehenduntur, quæ in notione ejus per arbitrariam determinationem formata continentur; ~~assiduum possit alioquin atque veram esse etiam a posteriori intelligi potest~~ (§. 719 Log. Lat.).

### SCHOLION.

103. Hinc admodum ballucinati ANTONIUS FABER (f) & WISSENBACHIVS (g) veritatem Juramenti in litem negantes. Infeliciter quoque ipsorum vestigia prestit B. THOMASIVS (h), haud dubitans juramentum veritatis ad predicata hypocraenari referendum esse. Sententia ipsorum hic redit, Juramentum in litem estimatione rei ex veritate sive quanti est in jure opponi, velut in l. 3. §. 4. de in lit. jur.; adeoque juramentum in litem cum vera rei estimatione una esse non posse. At non video probatum, juramentum in litem in genere vere rei estimationi apponi. Juramentum in litem Affectionis species ordinaria iuramenti

F 2

menti

(e) c. l. sub voc. quia (f) c. l. Decad. 17. Error. 8.

(g) ad Pandect. Tit. de in lit. jur. vol. 1. disp. n. 44.

(h) c. l. p. 45. seqq.

menti in litem est, cum ordinario ad determinandum pretium verum restituendum opus non sit juramento. Quid vetet igitur quo minus secundum ea, que (§. 16.) in genere deducta, sub juramento in litem indefinite in legibus definito & rei estimatione quanti est opposito in specie juramentum in litem *Affectionis* intelligamus? Maxime cum secundum c. l. s. 4. de vera rei estimatione jurare licet. Evidem Cel. THOMASIVS ad. b. l. respondet, rationem istam MARCIANI ineptam esse, quod contradicat VLPIANO in l. 4. §. 4. eod. & sibi ipse in l. s. 3. indeque infert vel MARCIANVM somniasse, vel quod probabilius ad TRIBONIANI Emblemata hanc rationem referendam esse, cum non constet totum *Ius nostrum* ejusmodi Emblemata repertum esse, ita ut de eis integrum librum scriperit WISSEN-BACHIVS. Ego vero pace manum *Viri meritisimi* dixerim, apparet saltem contradictionem. Si enim MARCIANVM modo adducto loco explicemus, quemadmodum fieri debet, cum scriptores ita explicandi sint ne sibi contradictant, in §. 3. & ceteris legibus supponitur, quod judex estimationem rei veram determinare queat, §. 4. vero quod id praeferre nequeat. Quando vero putat judicem semper absque juramento veram rei estimationem determinare posse, in eo ipsum maxime fecellit opinio. Ponamus enim, quod quis cistam rebus pretiosis plenam apud alium deposuerit, isque dolo cuncta interverterit, casus sane existet, quo estimatio vera rerum a judice fieri nequit, nec testes produci poterunt, quia res apud Dominum viderint, multo minus ita estimare possint, ut secundum illam estimationem iudex reum condemnare queat, nec actor justam conquerendi causam habeat. Quodque ausu prorsus temerario cum WISSENBACHIO emblemata TRI-BONI-

BONIANI effingantur, nuper solide offendit JOHANNES WYBO, in TRIBONIANO ab Emblematibus WISSENBACHII liberato.

**THEOREMA 23.**

104. *Juramentum in litem veritatis ob solam rei culpam Actori deferri potest.*

**DEMONSTRATIO.**

Quoniam enim juramentum in litem veritatis tendit ad determinandum pretium verum (§. 97); igitur deferri potest, quoties pretium verum restituendum. *Enim vero per pretium verum res patrimonium nostrum augent, nosque adeo locupletiores reddunt; atque adeo reus re intercepta plus habet & actor minus, etiamsi non in dolo sed in culpa saltēm versetur.* Quare cum Justitiæ commutativa conforme sit, ut id quod quis plus habet ipsi adimatur, & minus habenti addatur (§. 10 *Horar. subsec. Marb.*); pretium verum restituendum etiam ob solam culpam. Ex quo consequitur, Juramentum in litem veritatis ob solam culpam rei Actori deferri posse.

**SCHOLION.**

105. *Atque id formulæ inseritur, quod tanti patrimonio absit, quanti in litem juratur: quemadmodum talcm exhibet CARPOZOVIVS (i): Würde Kläger die moderirte Summen eydl ch erhalten und schwöhe.*

46 Dissertatio Juridica, de Juramento in litem Sc.

swöhren, daß er die abgenommene Mobilien so hoch und nicht geringer als sie in dem Verzeichniß fol. 196. angegeben achte, auch so viel und nicht darunter von seinem Haab und Güthern verloren und entböhren müste sc. So wäre Bekl. obgedachte Summe Kla-  
gern abzutragen schuldig.

**COROLLARIUM 1.**

106. Quoniam adeo delatio Juramenti in li-  
tem veritatis a facto culpoſo depender; nil inter-  
est, si iſtud deferatur, quale ſit iudicium, an bone  
ſidei an ſtriecti juris.

**COROLLARIUM 2.**

107. Cumque non in poenam doli hoc Ju-  
ramentum defratur, & obligatio ad rem reſti-  
tuendam in heredem transeat; *Juramentum in*  
*litem veritatis contra heredes ledentis deferri potest.*

**T A N T V M .**







Marburg, Diss., 1736-37

ULB Halle  
005 359 791

3







G.7. num 51.  
 E. 33.  
 1736.6.  
 DISSERTATIO JVRIDICA,  
 DE  
**JVRAMENTO**  
 IN  
**LITEM**  
 AFFECTIONIS  
 ET  
**VERITATIS;**  
 QVAM  
 AVSPICIS  
 ACADEMIE RECTORIS MAGNIFICENTISSIME  
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DN. FRIDERICI,**  
 HASSIAE LANDGRAVII, RELIQ.  
 PRÆSIDE  
**JOH. VLRICO CRAMERO,**  
 J. V. & PHIL. D. & PROF. JVR. ORD.  
 DIE VII. JULII, ANNI M DCC XXXVI.  
 PVBLICE IN AUDITORIO JVRISCONSULTORVM  
 VENTILANDAM SISTET  
 AVTOR ET RESPONDENS  
**GODOFREDVS SCHVLTZE,**  
 HALLENSIS MAGDEBURG.

MARBURGI IN CATTIS,  
 TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD.

